









17525.

35

AUXILIUM REDDE CHRISTE LIBERATOR!  
EXERCITATIO ETHICA,

*Qua*  
**JUS POSITIVUM  
ET NATURALE**

Potissimum,  
*In Illustri ad Albim Athenaeo*

PRÆSIDE  
VIRO

*Præximo atque Clarissimo*

**Dn. M. Ehrenfried Rothen/**

Camentio Lusato,

*Fautore atq; Amico plurimum honorando,*

Publicæ *συμφιλοσοφῶντων* ἐξετάσει  
Exhibetur.

*ab*

AUTORE-RESPONSURO

**AUGUSTO REZCHEIN/**

Camentio Lusato.

*A partu Virginis Anno 1670.*

In Auditorio Minori D. XXX. Novembr.

Horis matutinis.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

2003





VIROS

*Excellentissimum, Experientissimum, Amplis-  
simum, ut & Consultissimum Prudentissimumq;*

**DN. CHRISTIANUM MUCHOVIUM,**  
Phil. & Med. D. celeberrimum, Reipubl. Cament.  
nec non diœceseos ejusd. Physicum Or-  
dinarium.

**DN. GEORGIUM BOBEM /**  
Tributi Imperati Præfectum, nec non rei vinariae  
apud Camentianos Procuratorem soler-  
tissimum,

*Dnn. Patronos, Affines atqve studiorum suorum  
Promotores singulari animi devotione  
suspiciendos.*

Hisce studiorum suorum Primitiis in bene  
affecti erga illos animi  
*τεκμήριον*

*veneratur*

**Augustus Reichel / Camentianus**  
L.L. Studiosus.





D. O. M. A.

Προαύλιον.

**R**em pertractandam Orato-  
res priscos pariter atqve Philoso-  
phos à Numine quodam auspiciatos  
esse; vel ex sequenti sententia (ut  
ceteras silentii peplo involvamus)  
Ciceronianâ oppidò quàm clarum  
est. *Omniū rerum, inquit ille Latinitatis Princeps,  
à Diis immortalibus principia ducuntur.* Si omnibus ma-  
ximis affecerunt honoribus Deos fictos Gentiles, prin-  
cipia nimirum ab iisdem trahentes: Quantò magis  
nos Christianos cum DEO GLORIOSO majori etiam  
religione & pietate unumquemque inchoare labo-  
rem decebit. Non itaque illotis, *ut ajunt,* manibus  
præsentem *primam* meam aggrediar Disputationem,  
sed potius more Christianorum in subsidium vocatu-  
rus sum DEUM ter OPTIMUM terq; MAXIMUM, ut  
intellectum meum densissimis ignorantia tenebris  
obscuratum SPIRITUS S. radiis illuminare, divi-  
naqve suâ gratiâ clementer mihi adesse haud dedi-  
gnetur. FIAT!

A 2

SE-



## SECTIO PROBLEMATICA.

### PROBLEMA I.

*Utrum de jure agere sit tractationis  
Ethicæ?*

### EXPLICATIO.

#### §. 1.

**B**uccas deformes etiam suos habere basiatores, inquit  
*Subtilitatum Magister SCALIGER*  
Lib. VI. de re Poët. c. 4. Quemadmodum ergò nihil tam  
absurdum pariter atque ineptum, quod non sit dictum: Sic  
nihil tam certum, nihil tam verum est, quod obscurare  
non tentent mortales. *Επιμίμιον* modò canat quis de the-  
seos suæ veritate, & mox adesse illum, cui contrarium ad-  
palatum est, animadvertet. Quicquid tamen sit, nos vix  
à cœptis nostris amovebit Adversariorum dicacitas, quum  
incentivum præbeat ipsa veritas.

§. 2. In limine autem supponimus illud, quod pe-  
nes Philosophos est in confesso: diversitas videlicet discipli-  
nas de eadem re agere posse, modò diversus consideran-  
di modus subfit: Dicendum itaque est, tractationem ju-  
ris esse duplicem, generalem aliam, aliam specialem.  
Generalis est, quâ jus in actu signato concipitur ut sic, pro-  
ut communi signatur definitione & divisione, quid scilicet  
& quotuplex sit, apprehenditur. Specialem juris tracta-  
tionem illam dico, quâ de hoc vel illo agitur jure certæ ma-  
teriæ sive subjecto applicato. Et hanc tractationem mu-  
tuò *sumunt* ex virtutum matre, ipsa *Ethicâ*, tum *Politici*, tum  
*Jurisconsulti*, operâ suâ magis magisque illam expolientes,  
aliòque scopo & fine tradentes. Ut circumspicere in statu  
controversiæ formando ulterius agamus, distingvimus (2)  
inter



inter tractationem juris directam & indirectam. Directè enim aliquid ad disciplinam aliquam revocatur in Theoreticis; sub ratione vel objecti, vel principii, vel attributi, vel speciei aut modi contractioris: In practicis autem sub respectu subjecti, finis aut medii, & sub hoc ultimo modo agit Ethicus de jure. Quà ratione aliquid tractetur in disciplina indirectè, seu, ut nonnulli loqui amant, eventualiter, consulendi sunt Gnostologi & Metaphysici: Vid. interim Excell. L. Georg. Meier: in Gnostol. part. General. cap. 6. de disciplinâ. Tenendum (3) est discrimen, quod Philosophi constituunt inter jus divinum & humanum: illud alio nomine appellatur lex divina, & est Doctrina hominis menti in prima creatione insculpta, postea à ipsius Dei voce patefacta, rationem pie, justè ac sobriè vivendi omnibus hominibus communiter tradens &c. uti hoc ipsum fufius deducunt Theologi. Hanc, inquam, legem, quia à Spartâ nostrâ paulò alienior est, meritò dimittimus, ne falcem nostram in messem alienam mittere videamur. Hoc (jus videlicet humanum) aliàs insignitur nomine juris Politici, dividiturque in naturale & Legitimum, est quoque hujus loci.

## DECISIO.

§. 3. Quibus ita ordine collocatis hanc nos formamus conclusionem: *Sola Ethica de jure in genere & in actu signato agere debet.* Probamus effectum (1) sequenti argumento: *Cujuscunque entis tractatio in actu signato nulli disciplinæ, exceptâ Ethicâ, assignari vel potest vel debet, illud rectè ea sumit expendendum.* Atqui juris tractatio in actu signato nulli disciplinæ &c. Ergo. Majorem propositionem arbitramur immotam: Minor autem stabilitur inductione. **POLITICUS** enim quando pertractat doctrinam de lege, tunc non illam tantum describit atque



dividit, sed ad certum subjectum applicat, uti hoc ipsum  
 apud Politicos videre est. Confer. Dn. Liebenthal in colleg. Po-  
 litic. Diss. XII. de legib. & Executione Leg. p. 570 seq. Eruditè ita-  
 que loquitur Pl. Reverend. & Excell. Dn. D. Wendelerus in Phi-  
 los. Pract. maj. pag. 722. verba in d. l. quin adscribam, nil ve-  
 tat; sunt autem sequentia: *Posthac agendum est de legibus  
 non in genere, ut omnes fermè Politici hæctenus  
 fecerunt; sed in specie, hoc est, tantum de civilibus, per quas  
 tanquam per instrumentum Majestas aperit suam voluntatem  
 subditis, eosdemq; retinet in officio. Hæc ille. Quod JCTUM  
 concernit, non aliter se rem habere existimamus, quum hic  
 quoque præsupponat Ethicæ non tantum, verum etiam  
 Politicæ Principia, quibus destructis ipsæ quoque Conclu-  
 siones Juridicæ sunt nullæ, imò nisi Ethica & Politica essent,  
 inquit Henricus Nicolai, Jurisprudencia esse non posset, Lib.  
 de cogn. hum. p. 347. (II.) Hoc ratiocinio: Cujuscunque Di-  
 sciplina est explicare naturam & quidditatem justitiæ quæ talis,  
 ei quoque convenit de ejus agere effectu. Atqui Ethicæ est explica-  
 re naturam & quidditatem justitiæ quæ talis. Ergò Ethicæ quo-  
 que convenit de justitiæ agere effectu, videlicet de jure. Major  
 patet, quia causa & causatum sunt relata: relata autem se  
 mutuò explicant. Minor est in confesso. Hinc non potest  
 non sequi, conclusionem esse firmam: Vide maximè Reve-  
 rendi Dn. D. Johann. Deutschm. h. t. Rectoris Magnifici Disput.  
 Ethic. quas habuit anno 1651. 1652. Disput. XIX. §. 17. & 18. Ex-  
 cell. Dn. D. Wendelerus loc. cit. cap. X. de justitiæ, jure & equi-  
 tate p. m. 354. seq. nec non in compend. Philos. pract. p. 74. Dn.  
 Hieronymus Pratorius, Professor quondam Jenensis in Theatr.  
 Ethic. sect. XVI. p. 82. Bartholomeus Keckermannus in Curs. Phil.  
 Diss. XXIII. aliq; plurimi.*

## OBJECTIONUM SOLUTIO.

§. 4. Nunc superest, ut quoque contrariorum argu-  
 mento-



mentorum vires experiamur. Solet autem adversa pars  
 hoc primò urgere, JCTOS sua propria habere princi-  
 pia, quibus innituntur & utuntur, nempe leges, opus itaq;  
 non esse illà prædeterminatione, quam Ethica suppeditat.  
*Resp. cum B. Dn. D. Jac. Martini Diss. Ethic: Diss. I. quest. IV.*  
 Distingvendo inter principia proxima & remota. Illa  
 sunt, quæ ex remotioribus h. e. virtutibus Ethicis atq; poli-  
 ticiis fluunt, sine quibus ista intelligi distinctè nequeunt.  
 Singularia enim, *addit Beatus Vir, loc: cit: ,* qualia sunt Prin-  
 cipia & Leges JCTORUM, absq; universalibus neq; di-  
 stinctè docentur, neq; distinctè cognoscuntur. *Obvertunt*  
 (2) quod nos μεταβασιν εις άλλο γενεσ committamus,  
 quando quidem de jure agere sit *Politici*, non *Ethici*. *Resp.*  
 (1) esse petitionem principii. (2) committi ignorationem  
 Elenchi, quum status controversiæ non rectè observetur.  
 (3) malè ab Adversariis explicari μεταβασιν εις άλλο γενεσ.  
 Aliud fanè est ex principio vero sed peregrino de subje-  
 cto diverso aliquid demonstrare; aliud verò mutuò aliquid  
 ex alio sumere. Illud constituere μεταβασιν εις άλλο γενεσ,  
 ambabus largimur manibus, hoc verò nequaquam. Nos  
 huic controversiæ finem imponimus illo trito: *Ubi definit*  
*Ethicus, ibi incipit JCTUS.*

PROBLEMA II.

*Quomodo jus naturale & positivum à se  
 invicem distingvantur.*

EXPLICATIO.

§. I. Postquam in præcedenti controversiâ probatum  
 dedimus, juris quidditatem non vagabunda observatione  
 aut incerta traditione contineri, sed ratione acius signa-  
 ti certam requirere disciplinam, quæ ipsius naturam  
 declaret; recto jam tendimus tramite ad præsentem  
 quæ-



quæstionem, quâ illud movetur dubium, quomodo  
jus naturale & positivum à se invicem distinguantur.  
Quod controversiæ statum attinet, distinguimus (1) inter  
jus naturale primum & secundarium. Illud est, cujus  
præcepta nobiscum nascuntur, ut: *Deum esse colendum: Pa-*  
*rentes honorandos, neminem ledendum &c.* Hoc autem,  
quod ex illo deducitur, & apud omnes fermè populos est  
receptum, ut sunt *divisiones locorum, Dominia, contra-*  
*ctus &c.* Dico notanter fermè. Non enim est de essentia  
juris gentium, (sic appellatur jus naturale secundarium) ut  
omnes universim gentes illud exerceant: Hinc licet barba-  
ra aliqua natio ea lege non uteretur, quâ reliquæ commu-  
nitè utuntur, id non impediret, quo minus illa de jure es-  
set gentium. Nos in hac controversiâ de jure naturali pri-  
mario solliciti sumus. In hoc autem jure delineando nu-  
merum Autorum fermè exæquat sententiarum numerus.  
Unus eorum in latissimâ capit significatione vocem juris  
naturalis, alter vero in adæquatâ & propria. J C T U S  
dicit: *jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit:*  
*Vid. Just: Imperat. Lib: I. Instit: Tit. II.* Verum dicimus nos  
cum *Dn. Itero Synopsis: Phil: Moral: Lib: III. c. XI.* jus natura-  
le ibi sumi pro instinctu & inclinatione naturali Homini  
cum brutis communi, ut sunt, *vita defensio, procreatio sobo-*  
*lis &c.* Accuratior nobis suppeditat descriptionem  
Philosophus, quando *Lib. V. Nicom: c. 7.* *jus naturale est,*  
*dicit, quod hominibus omnibus natura indidit, vel, τὸ πᾶσι*  
*παρὰ τὴν αὐτὴν ἔχον δόξαν:* Cum quâ exactè conspirat il-  
la, quam fovet *Excell: Dn. D. Wendelerus, Præceptor noster*  
*Venerandus in Phil: præci: Maj. p. 354. Præc. IX.* *jus naturale,*  
*inquit, est, quod suam Autoritatem habet ex sua naturâ, ean-*  
*demq; vim & potestatem ubiq; gentium obtinet.* Quemadmo-  
dum autem sese nobis obtulit hætenus descriptionum di-  
versitas in jure naturali: sic quoq; gratis expectatur Auto-  
rum in jure civili describendo convenientia. Nos brevita-  
tem venaturi diversos allegare Autores h. l. super sedemus  
B. L.



B. L. ad ipsos remittentes: Descriptio nostra est talis. *Jus legitimum est, quod Auctoritatem suam habet ex instituto hominum, quodq; ante constitutionem neminem, post constitutionem omnes, quibus latum est, obligat.* (II) Observatu dignum est, jus civile duobus usurpari modis. (1) proprie & strictè pro eo, quod est alicui regno aut civitati proprium; & hoc modo juri naturali & gentium contra distinguitur. (2) latè pro toto illo jure, quo unum quodq; regnum aut civitas gubernatur, & sic complectitur tria membra, jus sc: naturale, gentium, & jus civile strictè acceptum: Nobis sermo est de priori.

§. 2. Ut autem in hac controversia decidendâ justo progrediâmur ordine, nec omnia proponamus confuse, (impossibile enim est vel simpliciter affirmare vel negare problema) certis nostram *κατάθεσιν* includemus conclusionibus. Esto proinde

#### CONCLUSIO I.

### Jus naturale & positivum differunt causâ efficiente.

Juris enim naturalis *efficiens causa est natura seu ipse Deus*, qui in primâ creatione hominibus id ipsum inspiravit, & cujus digito eorum cordibus est inscriptum, *uti Paulus loquitur Rom: 2. vers: 15. Το ἔργον τῆ νόμου γραπτόν ἐν ταῖς καρδίαις τῶν ἀνθρώπων.* Dicitur autem hoc jus ideo naturale, quia nec à consuetudine, neq; à Doctrinâ seu hominum instituto, sed à naturâ proficiscitur. Aristoteles vocat illud *πρῶτον δίκαιον*, *primum jus sive universale*, quia ad omnes & singulos homines respectum habet. Longè aliam obtinet causam jus positivum, *Homines nimirum sanâ mente præditos.* Hi illud communi constituunt consensu, vel ex jure naturali, vel ex aliis circumstantiis fundamentum

B

desu-



desumentes. Hinc haud inconvenienter à nonnullis decretum & inventum humanum appellatur: Ab aliis, jus ad naturæ jus probabili ratione additum, uti innuit Amplius: Dn. D. Wendelerus loc: cit: p. 377. Huc respexisse videtur Dn. Philippus lib. II. Epitom: Phil. moral. p. 99. ubi jus ita definit. Jus positivum, inqviens, est decretum legitimæ potestatis, non pugnans cum jure naturæ, sed addens ad jus naturæ circumstantiam aliquam probabili ratione, non necessario definitam. Exemplum ponit tale: Quando, verbi causa, jus naturæ in genere docet, furem esse puniendum, Legislatoꝝ probabili ratione pœnam determinat, ipsum capitali pœnâ esse afficiendum.

## CONCLUSIO II.

Jus naturale & positivum distingvuntur sine.

Stabilimus thesin, quia illud honestatem respicit tantum; hoc verò supponit illam, spectans commodum eorum, quibus fertur, id quod patet ex definitione illius juris, quam suppeditat Just: Imperat: in Instit: Lib: I. Tit. II. jus civile est, inquit, quod quilibet populus proprie utilitatis causa sibi constituit: ubi per utilitatem Commentatoꝝ intelligunt in specie tranquillitatem & salutem, quæ in illo jure, ne cui vis, damnum, injuriaq; inferatur, sita est. Hinc Thomas Aquinas utrumq; legis humanæ finem verbis includit sequentibus, quando 1. 2. Quest. XCV. art. 3. omnem humanam sive positivam legem, ait, necesse est justam, honestam, possibilem secundum naturam, secundum Patriæ consuetudinem, loco temporiq; convenientem, necessariam, utilem



*utilem*, manifestam, & pro communi civium utilitate scriptam esse. Haecenus Thomas.

CONCLUSIO III.

Discrimen inter Jus naturale & positivum  
constituit stabilitas & constantia.

In propositulo enim est, Jus naturale esse perpetuum & immobile seu ἀκίνητον, uti loquitur Aristoteles *lib. IV. Eudem. c. 5.* Secus verò se res habet cum jure positivo, quod ubique gentium & locorum, temporum & circumstantiarum quandam admittit mutationem, imò rebus ita ferentibus sæpè numero planè abrogatur. *Dicitis*, omnem mutationem esse periculosam, quum per illam de omnibus legibus subditi pravam concipiant opinionem, ipsiusque Legislatoris apud illos vilescat Autoritas. Resp. (1) regulam illam non esse simpliciter veram. (2) Tenendum, leges non pro lubitu, sed certis de causis ob subditorum potissimum utilitatem mutari. Respiciendum itaque est magis ad id, quod necessitas atque ratio Reipublicæ flagitat, quam ad pravam subditorum opinionem. (3) Distingvendum est inter id, quod fit per accidens & per se. (4) Addimus & illud, Legislatores non esse eâ prudentiâ, ut infallibiliter temporum, Personarum, locorum &c. futuras prospicere possint circumstantias. Ex quibus allatis rationibus facile patet & unà stabilitur legum mutatio, quæ à nobis jam erat probanda.

§. 3. Coronidis loco notandum est, numerum conclusionum alios augere, alios verò minuere: Illi adjiciunt *subjectum, objectum, effectum* &c. ut *Sigismundus Erenius loc. cit. §. 15.* aliique: Hi ex recensitis hanc vel alteram omittunt.

B 2

Nos



Nos in excessu peccantes, respectu habito ad subjectum, accusamus ἀκρολογίας, quia juris naturalis subjectum, animalia simpliciter omnia, quæ in aëre, quæ in terrâ & quæ in mari nascuntur, constituunt, & jus illud ita præter naturam extendunt, cum jus propriè in iis tantum locum obtineat, in quibus injuria. Hominibus scilicet: *uti Aristoteles hoc innuit in definitione supra allatâ.* Numerum autem decurtantes suo abundare sensu quidem permittimus, nostram tamen sententiam pro veriori habentes probari sat egimus.

PROBLEMA III.

*Utrum jus naturale sit immutabile?*

§. I. Quæstio hæc præcedentis consequens est. Dicitur enim ibi & conclusum ultimò, jus naturale à positivo differre *firmitate & constantiâ*: Quapropter optimo jure dubitabit quispiam, utrum illud sit immutabile simpliciter, num verò secundum quid &c. & quâ ratione illud sic appelletur. *Bartholomeus Keckerm. in curs. Phil. disp. XXIII. q. 14. p. m. 1132.* antequam problema affirmet, leges naturæ (sic enim jus naturale vocat) dupliciter accipi contendit: (1) *propriè*, pro istis principiis practicis, quæ unâ nobiscum nascuntur, & nullo docente in mentibus singulorum, velut oculus quidam veri juris elucet, ad quorum assensum non tam ducimur, quam rapimur. (2) *impropriè*, pro collatione principiorum: ubi sequens adponit exemplum, v. g. *Etiam si simpliciter justum sit, depositum esse reddendum: si tamen furiosus gladium repetat depositum ad alium interficiendum, mutabilis lex ista erit.* Et hæc ratione legis naturæ immutabilitatem asserit, nequaquam verò modo priori. (II) Huic distinctioni adjicimus illam, quâ immutabilitas juris naturalis spectatur in ordine ad assensum & ratio-



ratione notitiæ, de hac nos loquimur. Notitia enim de discrimine honestorum & turpium in mente semper manet: assensus verò & executio in quibusdam hominibus non sequitur contrarias ob cupiditates. (III) Tenendum, terminum *immutabilitatis* ambiguum esse. Accipitur enim *immutabile* tum *negativè* tum quoque *privativè*. *Negativè* sumitur pro eo, quod neque actu mutatur, neque ullâ ratione mutari potest; & sic solus Deus est immutabilis. Quando autem vox illa sumitur *privativè*, tunc denotat id, quod quidem aptum natum est mutari, sed non mutatur, & sic hoc loco. Confer. de hac ambiguitate B. Dn. D. Jac. Martini in *Exerc. Metaph. Exerc. IV. Theorem. XIV. p. 831.* Vid. si placeat, B. Scheibl, in *opere Metaph. Lib. I. cap. XVIII. de necessario & contingenti Tit. I. art. 2. n. 9. 10. nec non Lib. II. cap. III. Punct. IV. n. 635, 636.* (IV.) Notatu dignum est, quod docet *Excell. atque Amplif. Dn. D. Wendelerus, Præceptor noster summè colendus*, quando l. c. p. 394. in hæc erumpit verba: *Alii dicunt, inquit, jura naturalia considerari vel in universo genere, vel in quibusdam casibus & circumstantiis & singularibus. In universo genere considerata non mutantur, sed tantum in quibusdam casibus singularibus & circumstantiis, e. g. jus naturæ jubet parentibus esse obtemperandum, & id semper est verum, & nunquam mutatur. At in singulari aliquo casu potest mutari, velut si parens à filio postularet, ut proderet Patriam, aut abnegaret agnitam veritatem. In his filius Patri obedire non tenetur, nec tamen contra jus naturæ peccat. Hæc Dn. D. Wendelerus.*

## DECISIO.

§. 2. Affirmativæ subscribimus sententiæ: Cum verò nuda assertio nullam mereatur fidem, sed potius suspectam reddat ipsam veritatem, hæc addituri sumus fundamen-

B. 3,

damen-



damenta. (I.) Quia eandem vim ac potestatem jus naturale ubique gentium obtinet. Hinc atgumentor: *Quodcunque jus eandem vim ac potestatem ubique gentium habet, illud rectè dicitur etiam immutabile.* Atqui jus naturale eandem vim ac potestatem ubique gentium habet. Ergo jus naturale est etiam immutabile. Majoris evidentia satis lucet. Minor in ipsa definitione, quam suprâ tradidimus, fundata est. Ergò firmo stat talo conclusio. Huc quadrat illud simile, quod Ethici declarationis gratiâ communiter ponunt: *Jus naturale est immobile, sicut ignis, quod apud nos & Persas urit.* (II.) Quia Jus naturale est habitus innatus. Argumentor: *Nullus habitus innatus potest mutari.* Atqui jus natura e est habitus innatus. Ergo *Nullum jus naturale potest mutari.* Propositio patet, quia lex naturæ homini vel per creationem vel per generationem à natura inest, ut qualitas permanens & de se stabilis in subjecto. Hinc quia natura est immutabilis, quidni erit & illa qualitas. Minor in aprico est. Ergò. (III.) Quia lex naturæ, quoad ejus communia & universalia omnibus nota principia, ex hominum cordibus aboleri non potest. Inde tale nascitur argumentum. Si jus naturale, quoad ejus communia & universalia omnibus nota principia ex hominum cordibus aboleri nequit, sequitur illud esse immutabile. Sed verum est prius. Ergò & posterius. Majoris connexio probatur exinde, quia illud, quod aboleri non potest, est constans. Constans autem esse & mutari posse implicat. Benè itaque disferit L. Georg. Meier in Pneym. Part. Spec. cap. 1. Prac. 2. p. 253. *Neque enim, ait, notitiam DEI naturalem aboleri quis radicitus potest, id quod de surdis ac mutis ipsa testatur experientia.* Atqui hoc est, quod vulgò dicitur, *jus naturale non variatur tempore, sed immutabile semper manet.*

Con-



18  
Confer. ex Scholasticis *Thomas Aquinas p. 2. q. XCIV.*  
*art. 4. 5. 6. Lombardus Lib. II. Sentent. Ex Nostrati-*  
*bus Excell. Dn. D. Wendelerus l. l. c. c. Dn. Adamus*  
*Spenglerus Exercit. Ethic. XI. &c. &c.*

## OBJECTIONUM SOLUTIO.

§. 3. Nostram hætenus de præfente *ζητήματα* men-  
tem proposuimus: ordine porrò eandem impugnantia  
argumenta confutabimus. (I.) Exemplis pugnant Ad-  
versarii. *Ανδροποδάγης* enim aliosq̄ve barbaros ho-  
mines sistunt unà cum Lacedæmoniis, quos adulterium  
interveniente pacto cum marito permisisse ferunt. Re-  
spond. (1.) non juxta exempla, sed legem aliquid esse nor-  
mandum. (2.) abstinendum esse à confusione individu-  
orum cum specie humanâ. Eorum sanè vestigia legere  
haud gravabimur, qui mutabilitatem juris naturalis as-  
ferunt dari in hoc vel illo individuo. v. c. in Nerone, Ju-  
liano Apostata & aliis Tyrannis. Ejusmodi homines  
sæpè contra rationis dictamen furenter ruunt in scelera  
& flagitia. Negamus proinde consequentiam argu-  
menti: Lacedæmonii mutant jus naturale, Ergò est  
mutabile in se & suâ naturâ. Omni enim tempore re-  
perti sunt homines, qui rectæ ducti rationis judicio ve-  
ritatem illam naturalem approbârunt. (3) Distinguen-  
dum inter naturalis juris assensum & notitiam. Quam-  
vis etiam impius in corde suo dicat, non esse DEUM,  
sensus tamen scelerum pœnam illi dicitans eum convin-  
cit. (II.) Consuetudinem nobis obvertunt modernam,  
qua juris naturalis mutabilitatem probare satagunt.  
Dicunt enim, naturam jubere, obedientiam parenti-  
bus



2417.  
bus esse præstandam: Magistratum verò prohibere fi-  
lio prodicionem Patriæ à Patre injunctam. Resp. hac  
experientiâ Adversarios falli & fallere etiam alios. Illud  
enim principium, *Parentes esse honorandos*,  
non est abusivè accipiendum & ultra tertium suum ex-  
tendendum. Parentes dicimus & nos esse colendos,  
sed in iis rebus, quæ non sunt contra Deum, Proximum  
&c. Dubia quæ movet Thomas Aquinas p. 2. q. XCXV.  
art. 1. de habitu contra conclusionem nostram secun-  
dam, ab aliis sunt soluta. Actum itaque agere nolu-  
mus. Nunc quod in hoc præsentis negotio

Numine nobis adstiterit,  
dicimus

**DEO GRATIAS.**

Επιστολή.

I.

Jus naturale in bruta cadere posse per-  
negamus.

II.

Juris positivi mutationem esse sæpenu-  
merò utilem asserere nulli dubitamus.





Wittenberg, Diss., 1669-70

ULB Halle  
002 271 419

3



f  
sb.

VDA7











B.I.G.

Farbkarte #13

...ICTEROVE VERTAT

35

...RISTE LIBERATOR!  
ETHICA,

TIVUM

RALE

n Athenæo

ed Rothen/

...ato,  
...um honorando,  
...ων ἕταρα

SURO  
S C H E I N /

o.  
1670.  
X. Novembr.



E,  
II, Acad. Typogr.

2003

